Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Restabat nulla quam remeare domum
Ergo domum veniens tristis multoque pudore
Confusus rediit flensque gemensque satis
Hinc pater inde parens cum tota prole parentum
Gundolfum plangent qui convenire parentes
In lacrimas enim gaudia versa vident
Arguit hic vigiles causatur et ille bibentes
Impetit hic gallum dampnat et ille merum

Querimonia galline

Talibus auditis modo gallina predicto
Exiit et gallo talia verba refert
Gundolfus noster rediit frustratus ab urbe
Tristis et in lacrimas totus abire parat
Et pater et genitrix fratres miseraque sorores
In lacrimas abeunt omnia luctus habent
Quamvis gundolfus laqueo suspensus abiisset
Non possent eius funera flere magis
Imponuntque tibi culpam discrimis huius
Sis quoque totius causa caputque mali

Responsio galli

Talia dicenti gallus respondit iniquam
Non puto sed dare dignam et reddere vicem
Pullus eram quondam gundolfo percutiente
Tibia fracta fuit ipse recordor adhuc
Materiam prior ipse mihi causam doloris
Intulit iudicio tibia fracta manet
Ipse prior risit dum vulnera mea dolent
Nunc ego derisum rideo lege pari
Sic variat fortuna vices sic gaudia luctus
Occupat excelsa sic cecidisse solet